

CONSTANS NOMINIS
FAMA

INCONSTANTIS FORTUNÆ
rotis, semper in meta consistens fortunata,
Inter injurias temporum integra.
Inter funera non mutata,

In
NOBILI ac SPECTABILI DOMINO
DOMINO

CONSTAN-
TINO 21.
MARYANSKI

Consule Thorunensis Civitatis Emeritissimo

Semperque Fortunatissimo

Ad Parentantium Singultus

VOCALIS

Ad deciduas lacrymas

SONORA

Publico. Athenæi Thorunensis societatis Jesu luctu

DENUNTIATA

ANNO

QVOROMANA FIDES TORVNI CONSULE PORTAS

restitvit Latino.

Die 8. Junii.

THORUNI,
Impressit Joh. Nicolai NOBIL. SENAT. Typograpus.

Hominibus Fata militant non nominibus,
Ines.

Famaque post Cineres major venit. Ovidius:

Vmbras nesciunt qui digna luce gerunt. Neo.

*Immortalis & excelsus animus, nec cadere
nec jacere potest, nisi Semper erectus Stat. Neo.*

Hæc tibi prima dies hæc tibi Summa fuit.
Ovidius.

Nestoris est visus post tria Sæcla cinis. Prop:

CO

CON



titudini
mortiu
rum Be
absque
tholicu
lem abs
vindicta
decus,
Eheu o

CONSTANS IN DOLORE COR

ad Spectabilis & Nobilis

CONSTANTINI MARYANSKI

Consulis Civit. Thorun. Funera



Eu dolor ! ille ne mori poterat ;
quem immortalem vota omnium cupie-
bant ? Ille ne exspirare, in quo omnia ad
immortalem conspirarunt gloriam ? Ille
ne finiri, quem æternitas orthodoxæ Bea-
titudinis peperit, Catholicæ virtutes nutriverunt ? O sava
mortium jura ! quo tandem orphanorum Patrem, indigo-
rum Benefactorem, tutorem Innocentium, Amicum
absque dolo, fortunatum absque invidia, Romanum Ca-
tholicum absque fallacia, Civem absque discordia, Consu-
lem absque proprio emolumento, parentem inimicis sine
vindicta, temerastis ausu ? Num Pius, Probus, Virtutum
decus, Diis par mente Consul, tam subitò mori poterat ?
Eheu occidit ! occidit Sidus Urbis, dignus illustrare Sæcula.

A

Eheu

Eheu quam probus occidit, omnium raptus amoribus, & na-
tis raptus amantibus, invidis etiam flendus hostibus! Erepta
est Prænobilis Civitatis Thorunen. Coronæ gemma, Magistra-
tui Cor, Pro-Consulibus consiliorum anima, egenorum ever-
sum asylum, subrutum Orthodoxorum columen! O dolor! o
lacrymæ! ubi estis! Cur pluenti Nimbo non erumpitis.
vultum non spargitis, & in lacrymarum non exundatis di-
luvia, & Orphanis non paratis naufragium?

*Carmina diluviis merguntur, lacryma multa
Illis diluvium parat, oreque mæsta natando
Currere spectantur, pullato naufraga Ponto
Et dolor immitis miscet suspiria verbis,
Atque litura dolens per tristia verba vagatur.
Nec poterat tanto, guttatim lacryma fundi
Sed mare sed Tethys lessi.*

Ille ille obiisti, ut mors tua fuerit ad divisionem animarum
populo, ad admirationem Urbi, ad prodigium communi
famæ, ad tormenta doloris tibi addictorum, ad ignotorum,
quibus ad aurem non ad oculum de te pervenerat rumor,
nunquam egerendum dolorem lacrymis.

Noti Ignotiꝫ simul

Nos lacrymas gemitus tristia signa damus.

At siste lacrymarum profluvia dolor, ad Constantini feli-
cis æternitatis littora, cui naviganti mors felicissimus portus
est. Et si tibi adhuc constas mæritum Cor, Constantinum
non deploras. Plorari debent viri emortui sed non vivi,
lugeri minores fatis non majores factis & fatis. Nos
illi hodie parentamus, quem licet mors sepulchrali æquavit
Cineri, sed ejus nomen ab exequiis majus in ora venit. Ille
ille est, qui in vita dum fuerat magnus, in morte evasit ma-
jor Constantinus; auxit æternum nomen cum tempora-
lem vitam diminuit, revixit gloriosior cum desit vivere. Er-

ravit

ravit o
gloria
vebat,
tiis, ne
cum in
tigit, q
fuerat,
nec ma
fortun
invade
consta
æquali
redit p
suis pa
porum
marm
exarav
facinor
men in
fonte f
ortu.
mnes r
nitor, l
doxæ i
nensis.
ut etia
& quia
dem c
stam á
minis,
Sancto
crofan

ravit oculis cæca mors, quem viderat mortalem, in fama
gloriæ invenit immortalē, & qui in carne, sola mente vi-
vebat, extra carnem, Cælitium annumerandus intelligen-
tiis, nec immortalitatem cum morte exiit, sed mutavit,
cum immortalis non interiit sed exiit, illamque metam te-
rigit, quam tenent Cælestes genij. Constantinus scilicet
fuerat, constabat summa virtute, ut nec vitam probam, sic
nec magnum nomen morte immutare voluit. Irruebat in
fortunatos postes inconstans felicitas, & Constantia infelix;
invadebat inconstantia vitæ, & Constantinum invenit sub in-
constante fortuna Constantissimum, sub inæquali, majorem
æqualibus. Nomen hoc à sacro profluxit fonte & antiquum
rediit per quod inconstantis fortunæ maculam elueret, fatisq;
suis pararet naufragium. Nequit illud obliterari injuria tem-
porum, oppleri sepulchrali cinere, excidere corde incisum
marmori, quod perennaturæ memoriæ annalibus, indelebilis
exaravit character; si etiam impressum non fuisset, ob magna
facinora, tanquam hæreditarium possedisset. Retinuit no-
men in operibus, susceptum in baptismo, & statim a sacro
fonte sol emergens ex Oceano, idem in occasu, qui & in
ortu. Implevit Constantini Cæsaris, primi Catholici om-
nes numeros, relatus Constantinus Primus, Templorum
nitor, Romanæ Fidei propugnator, Pietatis ortho-
doxæ idea, in numerum Nobilissimi Consulatus Thoru-
nensis. Prævit primus dum viveret ad virtutum officia,
ut etiam dum primus obiit, in morte præcederet gloriosa,
& quia Magni Constantini adoranda trivit vestigia, ean-
dem cum illo Beatitudinis metam tangeret. Non angu-
stam à terris ad Cælos viam habuit, sed Regiam, sed sui no-
minis, amplo Constantini Cæsaris famulatu tritam, &
Sanctorum vestigiis triumphalem. Nec difficilem, cui sa-
cro sancta Fides, & mores Catholici omnem amoverunt o-

bicem' & ut facerent perviam, fecerunt planam, cum me-
ritorum plenam. Non ambiguum aut fallacem, sed evi-
dentem, cui Orthodoxa Fides ut in ortu dies accesserat, pi-
etas ut lux solis præiverat. Cespitare non potuit, cum ab
humanis exivit, illud enim ingressus est iter, quod solidis
Catholicæ vitæ principiis, totque Sanctorum exemplis est
demonstratum. Ad Basilicam etiam Sancti Iohannis Ba-
ptistæ æterno se commisit itineri, futurus in Cælo Gratianus
utque Templi huius limen, accessum illi præberet, ad Cæ-
lestem gratiam. Eviciniâ Sociorum IESU migravit è vi-
vis, ut quibus vicinus fuerat in terris, nec in Cælis sese vo-
luerat ab illis remove. O Beata vicinia! quæ illum ad-
movit astris, non aliterque vicinum habere voluit, nisi Be-
atitudini felici propinquum disponderet. Abiit ex huma-
nis Viator, cum solennitatem ultimi viatici recolit Romæ
Ecclesia, die Domini ad magnam Cænam veste splendens
gratiæ, invitatus. Et quia cordis patiebatur angustias,
Cordiale ex Regis Regum mensa propinatur ipsi poculum
quale fluxit in Calvaria e latere, ut ad æternitatis iter vires
colligat. Aut etiam morte sua approbare voluit veram in
Eucharistia præsentiam Numinis, quam toties Catholica a-
doravit vita & probavit. Nihil sic ut Cælestes appetiit e-
pulas, sedando appetitui Cæleste porrigitur Convivium.
Qui indigentibus subministrabat alimoniam, ipse non alio
cibo, nisi de mensa tractatur supremi Numinis, & cibus hic
Antidotum est, quo sumpto

Incommune bonus, non sentit damna sepulchri.

Et jam constans dolor ad Constantini funera sistelacrymas:
quid enim flere juvat si nobis mortuus, Cælo vivit. Vivit
vivit æternam vitam sumpto Divinæ mensæ ferculo, nec in-
ter dulces Cæli dapes mortem acerbam sentit. Si vero do-
letis adhuc ereptum terris, & si donatum Cælis, refræmate dolo-

dolores:
ctissima
archety
cum astr
vias in
tus viven
tem, in
liberalita
naverit.
tiam po
tinos, i

dolores: ita interiit ut se vobis reliquerit in Nobili & Lectissima Coniuge Salomæa, Fratrem suo Ioanne ut virtutum archetypo, Icone gloriæ, superstitem. Partitus se ipsum cum astris & terris, astris animam, terris præter corporis exuvias in lectissimis filiis dedit sanguinem, quo vobis animatus viveret. Ita occubuit, ut maximam & primam sui partem, in fama nominis, probitate vitæ, Catholicismoribus, liberalitate pauperum, tanquam occumbens Maxentius donaverit. Et hoc est magnorum virorum privilegium, etiam post fata vivere, incineribus magnos videri Constantinos, in fatorum umbris micare clarius. *Iam.*

Publica peregrinare fama
Illudque Orbi nuntia
Nobilissimum Consulem Constantinum Maryanski
vixisse non obiisse,
cum

In fama sui Nominis Constantissima
post funera vivat Constantinus.

Cum decrescente decrevit Luna,
Meritorum & gloriæ plenilunium,
ut iterum

in novam famæ excreveret augem,
Orbemque fama impleret.

Nescivit occasum in occasu
quem sua gloria illustravit,

ignoravit ortum sortis inconstantis,
quam extinxit.

Dies solis illius præluxit agoniam, dies Lunæ morti
& in funerali cereum, Cœli faces manibus se offerebant,
quas præclare gestis invitavit.

Vide invidæ livor

Ad lumen veræ Fidei quantus obiit.

Cui prima assistunt sidera.

Vide quomodo Numina
liberalitate humana non vincuntur,

cum

liberalissimo in pauperes

Planeta beneficis,

Munifico in Cælum,

Seipsam Luna erogat.

Ante gallicinium agonizans destituitur sensibus,

ut

ut
 Minium eriam, evitaret, negandi periculum
 primæ Petri Fidei,
 Moritur in Conticinio;
 quam enim professus in vita fidem,
 eandem in morte non negavit,
 Cum nullam garrulæ illius volueris exprobrationem
 audit,
 quæ
 Silentio constantem Constantini animum approbavit.
 Decidua in verticem ex altari fax, die solenni Beatissimæ
 Visitationis,
 præfata fuerat mortis,
 & quasi
 ad Beatos efformandos illi
 descendit radios.
 Secunda feria Constantino, Consuli Primo Catholico,
 Ultima fuit,
 ut fieret mors secundissima,
 quo
 hæcenus gloriantur secunda
 gestiunt prospera
 geminantur fortunata,
 &
 Constans Nominis fama,
 Stat in Constantino,
 ut in suo centro gloriæ,

PARENTALIS LESSUS

Mæonium quid torpet ebur? quis fila Sororum
 Et cytharæ nervos quæ musa tacere coëgit?
 In plausus vetat ire dolor, fatumque sonantem
 Sollicitare chelym prohibet, dulcesque Camænas
 In querulos vertit lessus. Properabat Apollo
 Argutam pulsare lyram, quæ ferret in orbem
 Doctiloquo metro fascis; Heliconis ab undis
 Castalidum numerosa cohors tentabat eburno
 Pollice Mæonium carmen, quod Consule dignas
 Cantaret laudes, placidas sed fata Camænas
 In mæstos cogunt planctus, avidosque sonandi
 Præcidunt cytharæ nervos turbantque triumphos.]
 Iam jam festivis Heliconia Numina plectris
 Parcite; Apollo lyram sistat resonare dolores.
 Heu dolor? heu lacrymæ? quis nunc nisi triste sonare:
 Carmen, & avulsas mæsto de corde querelas
 Ingeminare queat? Cecidit pars magna senatus
 Thorunii, patriæque decus, columenque sacratæ
 Relligionis amor populi, fideique corona,

Innumeram

Innumeram Lachesis cladem patravit in uno
 Consule; spes superum celsas, urbisque decorem
 Abstulit una dies multos deflenda per annos.
 Hic fuit arbitrium moderandi, hic primus ad omnes
 Imperii fasces, blando quem honor ipse fovebat
 In gremio, summissque aluit sibi gloria sceptris.
 Iste salus urbis, multos qui sponte timendo
 Eripuit fato. Vitam huic Zerneze retentam
 Debes te Lachesi precibus subtraxit atroci.
 Flere virum tors visus honor, viduique decore
 Fasces sublimem fronti cecidisse coronam
 Indolere suæ. Crudelia fata quod istud
 Invidia squallente nefas patrare serenum
 In caput ausa estis! Tanto gaudere Quirite
 Nec licuit spectare diu; irritavit anhelas
 Spes fortuna levis, pellens celerante fugacem
 Orbe rotam miscensque inter Solatia planctus.
 Sed tamen impatiens dolor hic compefcat habenas
 Quid juvat atroci pectus torquere querela
 Quid fati memnisse juvat, damnunq; cruento
 Volvere corde? dolor nequit hanc reparare ruinam
 Flere vetat rutilas ingressus Consul in oras,
 Æthereos inter Proceres. Stellantis Olympi
 Numina Te ingremio catus radiante curuli
 Perpetuus quam cinxit honor posuere, senatus
 Siderei Procerem. Vivis post fata superstes
 Quem prohibent tua facta mori, memorique perennas
 Consul mente, Tuum nomen per facta triumphans
 Posteritas annosa leget, te fama loquaci
 Cantabit lituo, Nomen constansque per ævum
 Constantine feres Stabilem cui gloria honorem
 Conciliat super orbe & te tua fata loquentur.

ULGA SERDECZNYCH ZALOW

^{1.}
Kiedy utajonemu w Sakramencie Bogu
 Podczas Bozego Ciała stoiac w samym progu
 Domowym, mógł się kłaniać zginając kolano
 W ten sam czas na śmiertelne łoszeko go skazano.
 Jednak śmierć y choroba niestraciła wiary,
 Uczyniła: konstantyn żeby był do pary
 Tym, krórzy arcysłusznie z innemi tak wiela
 Temu Sakramentowi pod nogi się ściela.

^{2.}
 Gdy Najświętszy Sakrament między pochodniami
 Należono po cmentarzu tuż przed jego drzwiami
 Maligna go trawiła, niekontent ze duszą
 Była jego pochodnia, więcy coś wymusza
 Na nim wiara gorąca: żeby Boże ciało
 W gorączce ciężkiej z niego żywą lampę miało.

^{3.}
 Kto niewie jak bezpieczna bywa Libityna.
 Zład niech pozna ze czego w zięła konstantyna.

C

Konstan-

Konstantyn wielki w krzyżu swe tryumfy mierzył
Nasz przy krzyżu Janowym w ciemny grob uderzył.
Ciężki na ludzi termin, gdy na twarde łoża
Śmierć rzuci, krzyżem się icy odzegnać niemoże.

^{4.}
Jakoż to Libityna zrzenice straciła
Kiedy *Maryanckiego* w śród nocy zoczyła.
Zoczyłać; lecz świat na to słonecznym promieniem
Patrzac niechciał, by swoicy tym śmiertelnym cieniem
Śturbowany niestracił od żalu zrzenice
Całe smutnych łez lejąc nad grobem krynice.

^{5.}
W nocy cię śmierć zabrała Wielki konstantynie
Znac że cię po zachodzie dzień jasny nie minie.

^{6.}
Nie wierzcie że Konstantyn umarł: w nocney chwili
Zasnął w Bogu, niemogłby nikt spoczywać mili.

^{7.}
Musiała być noc nie dzień, kiedy Konstantego
Śmierć brała pod podwoje grobowca ciemnego
Pewnieby się przy słońcu tej sprawy wstydzila
Więc oczy noc dla wstydu ciemna zaslonila.

^{8.}
Ukradkiem ludzi bierze zdračna Libityna,
Tym sposobem bo w nocy wzięła Konstantyna
Jednak się ta kradzieża nie nie zbogaciła
Dostał się skarb ten niebu, śmierć wszystko straciła.

^{9.}
Coby się w Magistracie dziś Torunskim działo
Podobno dworne niebo dowiedzieć się chciało
Więc Konstantyna Rayce dla zupełney sprawy
Od Radzieckiey do siebie wezwało zabawy.

^{10.}
Coż to jest że ledwie to przyięto do Rady
Torunskiey katolikow, az zaraz w te ślady
Śmierć jednego z nich bierze? znieba rozkazano
Tam ktorego był godnym Senatu przyznano.

^{11.}
Jaka ochota bierze do tych które z zimy
Pierwsze kwiaty powstaia corocznie widzimy.
Jaki y do nowego nas apetyt bierze
Fruktu, wszak doświadczenie nas wtey uczy mierze
Do nowin ma się chętnie raz y niebo mina
Ten tam Rayca Torunski jest wielka nowina.

EPITAPHIUM.

D. O. M. Puisse Manibus

Sta Viator

ad Magni,

in virtutibus,
meritis,
dotibus,
tumbam Constantini
& vide,
quod conversus in cineres,
maneat integer,
nec Nomen,
Cum sepulchrali diminuit cinere:
imo
tristibus atomis,
auxit in Olympum,
Ille enim jacet,
quem Magnum effecit fama
Majorem facta,
maximum fata,
Scilicet,
hoc tumulo,
Consulum gemma
Thorunensis Civitatis pretium,
Fortuna omnium
clauditur,
dum
Nobilissimus Consul
occluditur.
Jaceret hic ipsa virtus
si mori posset,
tam Nobilem se ipso construxit sarcophagum,
Huc huc accedite calamitates publicæ,
quarum nullam dimisit,
Cui,
aut Ore,
aut ære,
non consulisset,
& ut
simulacrum fortunæ,
non deaurasset.
Vixit benignus erga omnes,
benigenior erga miseros;
utque
ditaret egenos,
vix ipse non egebat.
Optimus fuit conditor urbis hujus,
dum optimus Consul.
Optimi enim sunt conditores urbium boni
Consules.
Inter ruinas
potuisset unico Constantino
stare tota Civitas,
dum regi
obit in Junio;
a Junio Bruto Primo Romanorum Consule nuncupato
ut scias,
quod Romæ, Primus Consul Junius fuerat,
hoc Thorunio,
primus Catholicus Consul Constantinus,

Quatuor annos & tres menses,
Supra quadrienas annorum finivit decades,
dignus saecula vivere,
Compenfavit annos meritorum & morum
plurimumque vixit,
Si ejus numeres merita,
Si Thorunenſis Civitatis commoda,
Ferme nihil
ſi Totius populi vota.
Partim voce orator vehemens
Partim conſervandis Urbis legibus
Conſul vehementiſſimus,
Dignus eſt publicis lacrymis
qui pro aliorum vita peroravit ad lacrymas,
quam perſaſit
& voce & lacrymis.
Sic Fudit lacrymas
ſupplex cor non funderet:
in commune bonum
propriae vitae prodigus
parcus alienae.
Nos tamen
communi luctui lacrymas non affundimus,
cum nullam contraxerit labem,
quae foret eluenda
Nec etiam
pro merita ejus mors amarus planctus,
quae amara non fuit,
omnem enim amaritudinem
pro dulci aliorum vita,
lacrymotus Orator
effudit cum lacrymis.
Ne tamen deſimus parentantibus,
deſlemus illum
eruditis Oratorum fluminibus,
Caſtaliis fontibus,
atramenti pullato mari.
Abi ergo viator
& triſte vadum ſupera
quod extorſit Conſtantini gloria
& felix contendes
quo omnes contendimus,
Prius tamen
ex virtute Conſtantini mirare famam,
ſi pius es
ſi verus catholicus
imitare,
in ſimili famae conſiſtas meta,
ſequere praeeuntem Conſtantinum,